

VICTORIA

à

REGIA SUA POLONIÆ
MAJESTATE

In partibus confinyarijs 5. die
Mensis Decembris, Anni elapsi 1683.

Contra

TURCAS ET TARTAROS,
feliciter obtenta.

RATISPONÆ,
LITERIS Pauli Dalnsteineri.



100867

VICTORIA

REGIA SIA P. OLONIE

ALABAMA

REPORT

1864

THE

REPORT

OF

THE

XVII-5385-II



CRACOVIAE primâ Exorientis Anni
Millesimi Sexcentefimi Octua-
gesimi quarti die,



Andem vigesimâ tertiâ Decembris,
flexo ad vesperam die, in Regiam
suam redux Majestas Regia tripu-
diantis Populi ex tam desiderato
adventu prosperaque valetudine
excipitur applausu. Princeps Re-
gni Ecclesia, in gratiarum actio-
nem, Ambrosiano resonat hymno:
grandiora quæquæ versûs in Arce & Urbe reboant tormenta:
mirus omnis status & conditionis hominum, in Principem
Regiamq; Domum elucet amor & candor. Regium adven-
tum, ceu ex condicto, lætorum per Podoliam, Valachiam,
Tartariam Bialogrodensem vel Budziacensem successuum
sequuntur nuntia; quorum dum hodie Nobis supervenit
confirmatio, & enucleatior relatio; operæ pretium est, com-
pendiosâ narratione, una cum debita Principi Nostro con-
gratulatione ex continuata Victoriarum & trophæorum ac-
cessione, publicam notitiam in participium eorum vocare,
quæ consilio, auspicijs, Principis Nostri pro gloria Crucis, &
Christianitatis securitate aguntur in decursu veteris, & exor-
dio Novi Anni. Quamprimùm præteritis in Comitijs Sac:
Cæsareæ Majestatis Legatus extra ordinem, proposuit S. Re-
giæ Majestati Reique publicæ, in eundam, communem con-

tra hostem armorum societatem; illicó subiit reflexionem Regiam, toties repetita per Turcam, nec unquam, desideratâ satisfactione pensata Pactorum læsio, tam per irruptionem Tartaricam, abductionemque tot captivorum; quam per violentam limitum usurpationem negata responsa, requisitionibus nostris debita, & interpositione ipsius Tauricano- rum Principis sollicitata: quorum loco internuntio Nostro oretenus, iteratis vicibus dictum his verbis: *Arbitrio utiq; vestro relictum, pacem juramento non firmatam tenere si vobis placuerit.* His argumentis S. Regia Majestas Resq; publica, ejusmodi pacem, deteriore bello judicavit: voluitque uti hoc arbitrio in bellum, quod penès Nos fuisse expressa superius Turcarum dicta non diffitebantur.

Hanc resolutionem suam, Regia Majestas, Cosacis Zaporoviensibus intimari fecit: opinioneque celerius accepit responsum, non sine ingenti, in transmittendo eò difficultate, eò quod non solum Tartari; sed & Trans Borysthenalis potestas, difficiles redderet transitus: Hoc responso, paratos se ad obsequia Regis & Reipublicæ totiusque Christianitatis professi sunt Zaporovienses. Expedivit Majestas Sua etiam Trans Borysthenem: quæres; ut luculentior evadat, brevibus exponitur hic Status Ukrainæ & Cosacorum.

Ukraina ex vi etymologiæ, dicitur limes, aut frontiaca Regio versùs desertos campos: Prima est ex hac parte Boristhenis altera ex illa. Trans Borysthenalis cessit Moschis ad certos annos tenenda: Cis Boristhenalis, non Turcis, sed Cosacis concessa; vigore Pactorum Buczacensium tempore Regis Michaelis & Confirmationis Constantinopolitanæ: cujus verba sonant, *Ukraina Cosacis cedat.* Verùm & hoc punctum per Turcas non servatum; unde Cosaci, relictis amplissimis Civitatibus & pagis, superato Borysthene, eò se contulerunt; ubi Moschorum ad tempus durat possessio.

Solæ

Solæ Civitates Niemirovia & Braclavia ad fluvium, Hypanis; aliàs Boh dictum cum aliquot Oppidis remanserant; his nonnulla alia Oppida super Tyram, aliàs Danastrim in confinijs Moldaviæ sita, adjuncta. In his itaque locis Turcæ inductis Præfidiarijs, Dominium suum fundarunt; Primò Chmielnicium exmonachum Ordinis Basilianorum, filium Bogdani Chmielnicij Protore bellis titulo Principis Russiæ adinstar Valachiæ & Moldaviæ Palatini eidem præfecerunt Regioni: sed brevi post, eundem propter insolitam tyrannidem dejectam, Constantinopolim abduxerant. Civitates autem illas & Ukrainam non Cosacis, nec alicui ex gente eorum, sed Palatino Moldaviæ commiserant: & quasi Moldaviæ adjunxerant Provinciam, quam ille Palatinus absolutè gubernabat, & sub tempus absentiæ, per suum Caimacanum, aliàs Locum tenentem. Hanc igitur partem Ukrainæ Cis Borysthenalem, per Tractatus suos Moschi, Turcico cesserunt Imperio: quamvis ad eam non modò Jus aliquod, sed ne quidem prætensionem ullam habuerint. Hinc sumpto argumento Majestas Regia, fecit exponi Cosacis, velint altum excutere soporem, & tandem sentire quod Turcæ, gentem illorum Marte præclaram, perditum eant, mancipando illam Moldavis Principibus: auferendo illis Provinciam, quæ per Tractatus Cosacis cedere debebat. His itaque perpensis, repertus est quidam Legionis Præfectus, origine tamen Polonus Kunicki dictus, qui Regium acceptavit monitum: & obsequium fidele obtulit Majestati. Ipso itaque Cracoviâ in discessu Majestas Sua, titulo Ductoris Cosatici eundem Cunicium ornat quàm plurimis gratijs cumulat. Pontificiâ liberalitate Personam & exercitum ejus firmat: Ille verò gratiæ referendæ, & fidelitatis suæ comprobandæ memor, non solum Caimacanum Palatini Moldaviæ è Civitate Niemirovia ejicit; sed etiam illa Castella occupat, quæ ad fluvium Ty-

ram, quò faciliùs utramque regeret Pròvinciam, Palatinus extruxerat : imò Palatini consortem, cum Familia & Confiliarijs locum tenentibus ex Moldavia trans Danubium usque proturbat. Quo viso Moldavi omnes Victori junguntur : Tartariam versùs Bialogrodensem compendioso tractu monstrantiter, ceu ad vicinos. Res seculo desiderata olim, quæ magnos quondam Reges & Ductores Poloniae, continuo cogitatu ac intentione exercebat ? sed non venerat tam plenitudo temporis, nisi nunc, cum ultimis diebus Octobris Cunicius, Viginti Millibus equestris & pedestris Cosacorum militiæ stipatus, non connumeratis Moldavis, & cohabitantibus cum Tartaris Christianis gentibus, neque Trans Borysthenalibus illis Cosacis, qui indefinenter affluunt non obstante conatu Moschorum Præfecti, pænâ capitali ausum punientis, illas invasit terras. Hinc videre licet generosum ad bella ardorem, & fidei Christianæ amorem in gente Cosatica : quæ per obstantes, quæ sibi à Præfectis imminent, mortes, penetrat eò, quò pij contra Paga nos belli, Christiana vocant classica : in tantum, ut Tanais quoque accolas, hæc moverit æmulatio quorum aliquot centena, idem Zelus Cunicio conjunxit. Qui Tanaim accolunt Cosaci, Moschovitici sunt imperij : antiquitus secundo flumine per Meotides paludes usq; ad Pontum Euxinum descendebant : Maritimas Urbes & pagos Turcicos igne & ferro vastare solebant ad instar Zaporoviensium Cosacorum qui Boristhene ad Pontum vecti multoties, Imperatoribus Turcicis, ex Seralijs Constantinopolitanis spectantibus, flammam edaces, & sumos mordaces sub oculis accendebant. Nunc verò utrumque flumen, Tanais & Boristhenes, vel juxta antiquos Danapris, extructis arcibus per Turcas frænatur : Cosaticus cursus utrobique prohibetur. Tanaijs arce Asak dictâ, eò loci ubi paludes subit : Boristhenes, quatuor arcibus impervius red-
ditur:

ditur : Duæ arces ante triginta annos tempore belli Cofaci;
ci; aliæ duæ arces, ante triennium, post ereptum è manibus
Moschovitis Czehrinum intra annum extructæ. Supradi-
ctus itaque Ductor Cunicius, superato Tyrâ, in Tartariam
ingressus, ceu obviam habuit antiquam & famosam Civita-
tem Tehiniam: quam expilavit & igne consumpsit Arx sola,
cum Mille præfidiarijs Janizeris remansit. Nam Cofaci, quò
agiliores essent, tormenta nulla sumpsere. Situs Tartariæ
hujus, est talis. Alluitur Danaastro, eodemque à campis de-
sertis dirimitur ab una; ab altera verò parte terminatur Istro
æquè ut Dânastris in Pontum ruente. Notandum est, eun-
dem Fluvium, juxta antiquos Authores, ab ipsis fontibus ad
Albam Græcam, Danubij sub nomine decurrere: Cæterùm
non nisi sub nomine Istri, Pontum subire Euxinum: Tertia
ex parte, jungitur Moldaviæ & Valachiæ; à qua flumine
Chyrasso, nunc Prut appellato dissociatur: exoneratur hoc flu-
men in Istrum, propè rudera pontis olim Trajani. Sunt, qui
hanc Regionem, Besserabiam vocitant: Derivatâ ut moder-
ni asserunt à certa Palatinorum Valachiæ Familia, appellatio-
ne possederant antiquitas hanc Regionem Tartari: quibus
supervenerunt Nagaienses, Plaustris Domos de loco in locum
secum ferentes, cum familijs, pecudibus & pecoribus: panem,
cæterosq; terræ fructus ignorabant. Hi crebris Cofacorum
& Calmucensium Equitum incursionibus pulsati, Tauricam
ingressi: Sed angustiâ loci non capiente multitudinem effe-
cit, ut una pars, Bosphoro Cimerio, qui distinguit Asiam ab
Europa, superato, versùs Circassios & adjacentes Volgæ
Campos; altera in hæc de quibus res est, loca penetraret. Ubi
deprehensâ terræ fæcunditate, ferentarijs domibus dimissis,
fixis tugurijs villas & pagos occupârunt: agriculturæ haud
pænitentiam dedere operam. Tantis rei familiaris incre-
mentis; ut æmulâ ipsi Ægypto feracitate, horreum Constan-
tino-

sinopolitanæ Urbis vocetur hæc Regio; frumento, hordeo & milio abundans supra modum.

Multas tamen vicissitudines & molestias perpeffi hi Tartari: quos Ottomanica Porta, modò sub Præfecturam Sili-friensem, ceu ductas in fundo Turcico Colonias; modò sub Imperium Tauricani Principis, post singulare meritum, ceu in præmium concedebat. Quo Tempore Hanus Crimen-sis, exustis pagis illorum, cum universis Familijs quâ terrâ, qua mari in Crimæam transferebat. Sed illi dulcedine ter-ræ illecti quaqua viâ remeabant, & exusta restaurabant.

Tales ergò sunt Tartarorum Populi; qui ex illa Regio-ne ad bellum Ungaricum cum Turcis profecti: reliqui ad excubias Camenecii ordinati. Vnde militaribus viris vacuam penè hanc Regionem invenerunt Cosaci: sed fæminis, in-fantibus, pecoribus & pecudibus repletam, omnigenis fru-mentis abundantem. Ad primam irruptionem, peditatum omnem, equis quos invenerant conscendere fecerunt: diver-sarum nationum mancipia, libertati restituerunt: multitu-dinem fæminarum & infantum abduxerunt: ætate vel infir-mitate imbelles trucidarunt. Tehiniâ Bialogrodum mo-verunt. Est Civitas & Arx ad Mare nigrum propè locum, quo Danastris maria subit. Latinis & alijs nationibus dici-tur Arx Alba, aliàs Moncastro. Exercitus totus progredi-tur super littore lacus Ovidiani, quod nomen remansit à fa-moso illo Poëta Romano. Ex hoc igitur littore, ultimariæ litteræ missæ. Dicitur verò lacum format distentus & effu-sus in latera Danastris, priusquam Ponti subeat undas. Ad-sunt Lacui rudera Ovidiani balnei. Ibi dictus Exercitus non procul distantem Arcem, antiquis dictam Turris Neo Pto-lemi, occupavit & evertit. Sperat ad Moncastrum repertu-rum se confluxum fugitivorum hominum mercimonijs & mobilibus bonis onustum. Quæ omnia igni ferroque va-stare

stare intendit. Inde est in animo Cunicij, ad Smailum & Kiliam movere. Civitates sunt ibi sitæ, ubi Ister, Nylum imitatus, se in Pontum exonerat.

Verùm juxta id, quod ex Moldavia scribitur, prius Cunicio faciendum erit experimentum belli aleæ cum Principe Tauricano, ad hanc à Vesirio Dignitatem recenter assumpto. Hic enim post cladem ad Parcanum, & detitionem Strigonij movit Pesto: & superato Budensi ponte, amplius in hanc ripam reverti non est ausus: Quamvis medietate minus, hac sibi esset iter in Crimæam adeò Victricia Christianorum expavit arma. Unde longâ viarum usus periphrafi, Diurdzinum aliàs Georgiopolitanam attigit Civitatem, in adversa Moldaviæ ripa sitam: Ubi fessus lassusq; Superatis tot anfractibus subsistit sine dubio. Si viderit intensiori ex gelu Istrum glacie concretum, faciles utraq; pars ad se scilicet Cosaci & Tartari habebunt accessus: Si autem placidior hyems glacies excluserit, dubium non est, Tartaros, tam residuitatem equorum, quam captivorum ibi amissuros, nec non Turcica in circuita lati fundia devastaturos.

Palatinus Valachiæ Stephanus Petrus à S. Regio Majestate ad recuperandum Principatum expeditus attigit meditullium Moldaviæ in Civitate Botuszaniij dicta. Ubi incessanter Magnates velut suum ad Principem confluunt.

Interea Bialogrodensium Tartarorum pars, pro Custodia Camenecij relicta, quæ causa est irruptionem in Palatinatum Volhyniæ facere, geminatis cladibus à Domino Castellano Cracoviensi, qui laxiori obsidione, jussu Regio premit Camenecum partim profligata, partim & consumpta. His omnibus supervenere nova nuncia à Duce Zaporoviensium Kunicki septimâ Decembris Scriptæ: quæ continent quædam desideria ad Sacram Regiam Majestatem, id est supplementum pecuniarium, subministrationem tormentorum.

bellicorum, & quasdam immunitates Cofacis præstari, à S. R. M. idem Ductor expetit. Præcipua autem puncta litterarum hæc sunt Primū, quod ad trecenta millia utriusq; Sexūs hominum gladio percusserit, ex quo barbaricas intravit regiones. Secundum quòd exercitus suus constet ex Zaporoviensibus & Tajanensibus ex Moldavis, Valachis, & Baziaviensibus quò exercitu nullas se ferias daturum hosti promittit. Tertium, quod Valachi Moldaviq; Populi juramento mutuo cum Cofacis se obstrinxerint pro gloria Crucis contra barbaricas acies: pro Regia & Reipublicæ dignitate pugnatos. Quartò, victoriam quartâ Decembris ad Tilgrotinum, obtentam de Turcis ac Tartaris nunciat: nimirum Bojos Tehinenses, Cajamacanum Bialogrodensem ad Budziacensem sanizeros, tum Equites Turcicos, Spahios Tartaricis Equitantibus se junxisse, & ad sternendum suum exercitum venisse. Sed juvante Deo, barbari vim suam non sustinere; in fuga salutem ponentes, adeò spe inani, ut quatuor milliaria Germanica, quoad extensionem cadaveribus Turcarum Tartarorum strata remanserint per immanes Cofacorum & Valachonum subsequendum ictus. Bejus Tehinensis & Alabejus Equitum Præfectus qui centum millibus Imperialium vitam redimebat, sævientium Victorum ablatu æsta: eodem fato perijt Caimacanus, & Alagasius Tartarorū Bialogrodensium Præfectus: periire aliquot ultra decem, Murzæ: alijq; Tartaricarum Cohortium Præfecti. Pars victrix nec unum quidem desideravit ex suis: quod omnipotenti Deo & Magnæ ejus Matris intercessionem debemus. Victoriæ Nostræ nuncios, ipsos volumus esse Tartaros, quos mittimus. Victoriæ enim nullum majus Testimonium, quàm ab hoste victo.

Quintò

Quintó mittit idem Ductor Legionis Præfectum: qui oretenus refert magalia Dei, & desideria Exercitûs Regi. Post hæc quis dubitat, quantâ sui parte mutilatur Turcicum Imperium, post inauditam Tartarorum stragem, quorum Equitatus Turcæ, ad belli onera indefessè obeunda, obduratos, ceu tutelares Angelos habent: & sine illorum adminiculo, delicatus Turcarum Equitatus nunquam formidini fuit.

Tartari sunt, qui vîginti & amplius miliaribus Turcicis præcurrunt Exercitibus: die noctuq; Christiana infestant arma: non illis flumina, non saltus impervij: à tergo, à fronte, à lateribus impetunt, & vexant inq; continua Christianorum Exercitus comeatumum penuria tenent: hos frangere, his Turcarum vires destituere; idem prope modum est, quod volatilibus alas præscindere. Quanti autem commodi mutuum inter Gentes juramentum? Supervacuum recensere. Hæc omnia Serenissimi Regis Consilio & in defessæ activitati, Pontificiæ verò, si agere non desierit debentur liberalitati.

Accedit & hæc non postrema consideratio, quòd Cosaci Tanienses Moschorum Dominio subjecti Zaporoviensibus juncti Turcico Moschoviticæ rupturam pacis incoharint. Sacra Regia Majestas rebus instat secundis, missi ad Cunicium octo cohortibus equestribus: mox ubi gelu practicabilia itinera fecerit bellica tormenta cum omni apparatu missura. Imò certum numerum Dymachorum his omnibus superaddet: Adeò ut Princeps Moldaviæ per suam Majestatem re inuictus, integras vires suas eidem Cunicio jungat, quatenus viribus & animis uniti prospere ceptam Tartaricæ Gentis cladem seriò prosequantur minimè obstantibus gelidæ brumæ rigoribus: Quos inter Novæ in dies virescent Laurus.

NB. Trecenta millia barbarorum periisse, dum scribit Cunicius; utitur linguæ suæ emphasi, ad exprimendam multitudinem eorum quos ignis & gladius consumpsit, prudenti tamen calculo benè centum millia computari possunt.

